

Bibliothèque numérique

medic@

**Guillot, Natalis. - An aliquando morbi
natura et therapeia, in causâ potius,
quam in symptomatibus et
laesionibus quaerendae ?**

1829.

Paris : Ex typis Adr. Moëssard
Cote : 90975

13

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU OPTIMI REGIS,

ET EX MANDATO PUBLICÆ INSTRUCTIONIS MINISTRI,

INSTITUTA ANNO M. DCCC. XXIX.

*An aliquando morbi natura et therapeia, in causâ
potius, quam in symptomatibus et læsionibus
quærendæ?*

THÈSÈS



Quam, deo favente, in saluberrimâ facultate medicâ parisiensi,
præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum
disputationibus subjiciet et dilucidare conabitur

NATALIS GUILLOT.

PARISIIS,

EX TYPIS ADR. MOËSSARD,
VIA VULGO DICTA DE FURSTEMBERG, N.^o OCTO (BIS).

1829.

0 1 2 3 4 5 (cm)

PROESES:

D. ESQUIROL.

JUDICES:

D. D. ADELON.

ANDRAL.

CAYOL.

CHOMEL.

FIZEAU.

GAULTIER DE CLAUBRY.

LANDRÉ BEAUV AIS.

VICEM GERENTES:

RULLIER.

DE KERGARADEC.

COMPETITORES:

DOCTORES MAILLY.

DEFERMON.

GUIBERT.

LÉGER.

HOURMANN.

AYME.

BROUSSAIS.

CHANEL.

DALMAS.

SANDRAS.

GUAYRARD.

BERJAUD.

SANSON.

MENIERE.

FORGET.

DUBOIS.

ROYER-COLLARD.

VIDAL.

REQUIN.

GAIDE.

An aliquando morbi natura et therapeia, in causâ potius quam in symptomatibus et læsionibus querendæ?

MORBORUM symptomata, læsiones, causas que accurate perpendere, et videre quibus in casibus, unus ex his factorum ordinibus ad natu-ram affectionis agnoscendam et medicationem instituendam, utilis sit, eam mihi finem propono.

Illa inquisitio cuius singula expendere, brevi in isto forsitan non licebit, nullius esset momenti, si morbi quasi de unâ et semper eâdem causâ, tantummodo a differentiis cuique organo propriis modificata nasci existimarentur.

Parvœ etiam esset utilitatis, si uniformis medicatio adhiberi oportet, et si morbidœ læsiones, ratione semper eâdem debellarentur.

Sed non ita res se habet, et quotidianâ discimus experientiâ, morborum curationem non intra quasdam methodos circumscriptam esse et multas nobis artes eligendas prebere scientiam.

Difficilem ad hanc curationem omnes tendere debent medici conatus.

Magni ergo erit ponderis data solutio questionis, quum indicare debeat, quâ viâ, tuto ad morbi naturam et curandi methodum perva-nire possimus.

Quid est hæc morbi natura?

Absoluto et certo modo, nulli licet eam enunciare; fas est tantum quosdam stabiles charakteres cognoscere, quibus semper iisdem, in omni corpore nascentibus, aliquid edocemur, de morbi intimo statu.

Ad illorum characterum, cognitionem, conducti fuimus, morborum comparatione; quando communia et similia phenomena, in nonnullis

i *

morbis, quando dissimilia; sicut ejusdem aut dissimilis naturæ judicati, ex hoc quoque ordinati fuerunt, et eo ipso quod in ordine inflammacionum morbus collocatur, aliquid de illius naturâ inflammatoriâ percipitur.

In quorumque morborum singulari ordine, omnis peculiaris morbus aliquâ naturâ propriâ spectabilis est, quæ aliquando agnoscit potest, quæ sc̄epissime nos fugit.

Sic exempli gratiâ in quibusdam pneumoniis biliosis, ad naturam inflammatoriam peculiariter adjungitur, natura propria, cujus notio in therapeiâ prorsus utilis est. Idem in quibusdam ulcerationibus, erysipelatibus, etc., etc.

Sed pone naturas istas ex quibus clarius instituitur therapeia, altera patet natura, prorsus a medico ignota, absconditissima, sive in organorum liquidis, aut solidis sedem habeat. De hac nullo modo, quia certe nil fructuosi dicam.

In partes duas hanc dissertationem dividam, in primâ vicissim symptomata, læsiones, causas que perpendam, quantum que res istae ad naturæ cognitionem valeant, generaliter, requiram.

In secunda autem, quonam modo cujusque morbi medicatio institui possit, et quoniam sint elementa, quæ ad illius notionem ducere possunt demonstrare conabor.

PARS PRIMA.

De Symptomatibus.

Non ad eamdem notitiam ducunt omnia symptomata generaliter explorata, nec in omni circumstantiâ ad eamdem finem vergunt.

Illa dividam, uti melius appareat quid nos doceant.

1.º Symptomata quæ ad nullam ducunt cognitionem, de morbi naturâ, aut de causâ, aut de organi læsione.

Talia sunt nonnulla generalia symptomata, sudor, horripilationes, pulsus acceleratio, quædam motuum et sensus perturbationes, etc.

2.^o Symptomata quæ affectionem apparatus organici, vel organi privatum designant; nihil judicantia de causâ, vel de naturâ morbi.

Talia sunt hæc symptomata; modo tussis, in respirationis apparatus affectionibus; vomitus, palpitationes, diarrhæa, in affectionibus ventriculi, cordis, intestinalium, etc. Ex his enim symptomatibus clare apparet, apparatus, aut organi affectio; sed nihil nobis manifestum est ab iis de naturâ morbi, neque de causâ, neque de læsione organi.

Omnia symptomata, ex sympathiis proximis aut remotis orta, in hoc ordine collocari debere mibi videntur; quamvis non designetur pars in quâ sedet læsio primitiva, sed quia ex iis comperitur peculiaris organi, aut apparatus dolor.

3.^o Symptomata quæ directè ad læsionem organi verè dijudicandam ducunt, sed nihil de illius naturâ designant.

Ordinis istius symptomatum dijudicatio, maximæ est utilitatis, namque si illis veram causæ notionem adjungere oportet, ad morbum sane judicandum; certum attamen est, cognitionem læsionis organi, et judicium quam maximè accratum ex symptomatibus, naturæ anatomice, amplitudinis, atque antiquitatis, ingentis medico esse momenti.

Hic ponamus symptomata quibus designantur.

In cerebro, hæmorrhagiæ, mollescentiæ, kisti, serositatis collections, etc.

In pulmonibus, cavitates anormales, indurations, mollescentiæ gangrænæ, etc.

In alimentorio ductu, mollescentiæ, hypertrophiæ, conjunctæ vel separatae, tunicarum, ulcerationes, vel perforationes, etc.

In serosis membranis, serositatis aut puris accumulationes.

In circulationis organis, hypertrophiæ, dilatationes, ossificationes.

In parenchymatosis visceribus, in telâ cellulari, in tegumentis, quidam tumores; in ossium structurâ, necrosæ, caries; in articulis ulcerationes, petreæ concretiones, liquida, etc., etc.

In antecedenti ordine ad affectionem quamdam uno symptomato ducebamus, in hocce, in quo nobis fas est læsionem anatomicam percipi-

pere; non uno symptomate, sed symptomatum collectione ducimur, ex eorumque comparatione splendet medici intelligentia.

De Læsionibus anatomicis.

1.^o Per vitam. — In multis casibus, de morbi causâ istis læsionibus eruditæ videmur, sed reipsa ita videtur tantummodo, quia propter læsiones istas, in memoriam nostram revertuntur rapido, numerosæ circumstantiæ, quæ illas antecedere solent.

Sic ex balani ulceratione, in mente nostrâ nascitur, idea causæ et naturæ, sed hoc solum, quod quotidie unicæ causæ succedit. In tegumentis pustulæ seu raræ, seu confluentes, medico speciem quamdam morbi prænuntiant, verum enim non ex cutis anatomicâ læsione hoc prænuntiatur, sed ex rapidâ memoriâ, omnium cuiusque rerum antecedentium, ex quibus medico appetet natura, ex quibusque indicantur omnes circumstantiæ quæ circa ægrum circumfundi debent.

De quibusdam tantum læsionibus facillime oculorum ope perceptis, locutus sum; si de læsionibus non exterioribus loqui tentarem, quod jam de symptomatibns dixi, id forsitan rursus enarrarem; melius mihi videtur, quod de his dicere vellem, cum læsionibus in cadaveribus investigatis conjungere; sed antea, si in mentem revolvere velis quam sit difficile læsione anatomicâ pervitam, ad causam et naturam conducti; facile intelliges quantò hoc difficilius sit, in homine, aut nuper, aut jamdudum defuncto.

2.^o Læsiones anatomicæ post vitam.

Multa cadaveribus, medici meditationibus offeruntur, sed ex his ne fas est, motus tam varios et compositos intelligere, qui per vitam ab istis nunc immobilibus agebantur.

Si in memoriam revertuntur, et physiologica experimenta in hominem aut in animalia, et sanitatis illorum accurata indagatio, hoc ipso, quod sibi in mentem finget, organorum regulares motus, huic forsitan compertum erit, ex quibus modis, quas percipit nunc læsiones, per-

vitam motus perturbare valuerint, numerosisque symptomatibus originem dederint. Sed hoc tantum, in numerosis casibus intelligi valet.

Ulceratione, puris collectione, sanguine diffuso, hyperemiâ vasculari, organi cūjusdam aut circumscriptâ aut generali hypertrophiâ; oculis tantum subjecta erit, dispositionum physicarum aggregatio quædam; sed ex his dispositionibus, raro aliquid, et plerumque nihil percipietur de naturâ et morbi specie.

Inter alia exempla, investigationem indicabimus anormalium quarundam productionum sub nomine tuberculorum aut puris cognitarum, ex iis que si inquiremus quomodo illustrata fuerit illarum natura et causa ab anatome pathologicâ, facillime erit compertum, nos eā unam rem tantum edoctos fuisse, scilicet, illas productiones, de aliquâ modificatione anteriori pendere, sed de modificationis naturâ, nihil nobis indicatum fuisse. Hoc et idem dicimus de numerosis in corpore læsionibus, exceptis, quæ ex mechanicâ causâ pendent. Plerumque in cadavere formas percipere possumus tantum; nos fugit natura quæ causa fuit haram læsionum, per vitam solum illam inquirere valemus.

Attamen illarum anatomicarum læsionum maxime necessaria indagatio, ex illâ que indagatione plura nascuntur, quæ nunquam neglexit medicus sapiens, quia ex illorum cognitione sane judicatur morbi gravitas, egregie que applicatur therapeia.

Primoque maximi est momenti læsionis anatomica natura.

Si post mortem, organorum læsiones vis dijudicare, ut illas ad organorum per vitam, motus varios referas; magni tuâ interest accurate corpus perscrutarè, ut tibi sit compertum, an læsio; sit ulceratio, an mollities, an induratio, an hypertrophia, an atrophia, an gangræna, etc.

Maximi tibi erit pretii organorum telas et varias moleculas interrogare, ut clare appareat, quænam sit læsa ex partibus organum constituentibus; inquirendum tunc necessario, de alterationis sede.

Si liquidas collectiones et naturâ physicâ prorsus dissimiles examinare velis, sive in organorum molem, sive in superficiem, irrumpentes; quanta erit istius investigationis utilitas, quanti erit ponderis harum collectionum indagatio, qualemcumque sit liquidum ex quo constituun-

tur, aut serum, aut sanguis, aut pus; æqualis est momenti, solidarum accumulationum investigatio, qualiscumque sit illarum natura; qualis cumque illarum actio in proximis organis; qualescumque sint modifications, quæ in his seu liquidis, seu solidis occurunt, etc.

Maximi etiam est momenti læsionis anatomicæ amplitudo.

Magni enim refert hujus amplitudinis cognitio, ut ex illius cum symptomatibus comparatione, judicetur sane, et quâ rapiditate hæc læsio crescat, aut quâ multiplex surgat, aut quâ rapido imminuat, ideoque, quibus modis, sive ad organum plane destruendum, sive ad curationem certam, ad ægri salutem tendat.

Ex harum rerum pretiosâ indagatione, et ex comparatione earum cum symptomatibus per vitam, numerosa et utilissima nascuntur, quæ mere in aliis hominibus applicantur; sive illorum morbos accurate judicare velis, sive illorum diurnitatem cognoscere, sive therapeiam utilem instituere.

Necessaria tunc illorum notio, vel agnitiæ causâ, quia si quando, ex cognitione causæ indicatur therapeiæ methodus, non eâ prænuntiantur, numerosa impedimenta, quæ huic obstare possunt, vel que illam nocentem aut funestam efficere.

De Causis.

Omissis duobus factorum illis generibus, quorum primum in homine vivente, secundum vero in mortuo perspici tantummodo possunt; sunt quoque factorum quidam ut ita dicam casus, ex quibus attentissime exploratis (illud si facile nullisque obstantibus tenebris fieri potest) multa utilissimaque oriri possunt.

Quapropter quanti sint symptomata, signaque anatomica momenti, perspicere conatus sum, eodem nunc studio quæ sint causæ et qui curandi modus ex illis nascatur, quæram.

Raro admodum morbo ejus que symptomatibus perscrutatis, causas certissime dignoscere possumus; omnia quæ antea et jamdudum acciderunt investigemus, necesse est. Sæpe quamvis, eorum difficillimum

lubricissimum que sit studium, opacæ que involvant tenebræ, magni sunt tamen pretii, utilissima que oriuntur, quum eas indagare licuit.

Duabus illas dignoscere medicus potest rationibus. Nunc si ægrotum attentissime interrogaverit, nunc si omnia quæ illi antea acciderunt, in memoriam revocaverit.

Sed omnes causas ex quibus nascuntur morbi qui humanum genus afficiunt, certo modo æstimare non licet.

A. Ex illis causis, quædam in presenti scientiæ statu, non omnino cognitæ sunt et forsan nunquam cognoscendæ erunt.

Tales sunt causæ quærundarum epidemiarum, febris dictæ luteæ, dysenteriarum aliquarum, aut aliorum morborum sicut morbus epidemius qui in indiâ sæviit 1817, aut hujus ce morbi epidemici qui nuperrime urbem invasit.

B. In aliis casibus, aut magis aut minus appreciari valent causæ, aliquando incerto et non sufficienti, alias certissimo et prorsus utilissimo modo.

I. Modo ex toto quidem, sed ex peculiari cuiusdam hominis habitu; hæreditate scilicet, constitutione, sexu, corporis temperatione pendent.

II. Modo ex illis quæ hominem circumdant; atmospheris constitutione, frigore, calore, aeris humiditate aut siccitate, si in unum, sive in omnia corporis organa sœviant.

Aliquando causæ, morbum quemdam specificum, ut dicunt, designant, eadem scilicet generalia signa, eodem ortu nota, præseferantem ubicumque observentur.

Quidam morbi non contagiosi, ex corpusculis in ære volitantibus, et corpori nostro admotis, aut in organa ingestis, oriuntur.

Inter istorum morborum causas annumerandæ sunt: 1.^o exhalationes vegetales quæ aut nemoribus aut paludibus oriuntur.

2.^o Animales quæ secretionibus aut humoribus animalium, vel eorum putridis nascuntur reliquiis.

3.^o Minerale quæ metallis.

- 4.º Gaza ad respirationem non idonea, huic vel noxia.
- 5.º Cœli calidior vel frigidior temperies quæ hominem totum, vel illius tantum partem asphyxiâ premunt.
- 6.º Causæ mechanicæ.
- 7.º Venena in œconomia introducta; toxica qualiscumque sit illorum natura.

Alias, inter causas cujus specifica est natura, eas quæ morbos prôdunt contagiosos, quocumque modo sese transmittere possint, ponam. Videlicet, variolarum, rubeolæ, scarlatinæ, scabiei, pestis, siphylidis causæ.

Cujus sint illæ omnes causæ momenti? In morbi naturâ et necessario medendi modo quodnam lumen præbent?

Morborum de quibus primo locutus sum, causæ omnino ignotæ, in affectionis medicatione eligendâ nullo modo utiles esse possunt; tantum modo ex symptomatibus læsionibusque observatis, institui potest curandi modus.

In secundo, causæ si prædisponentes, remotæ vel proximæ sunt, sœpissime obscuræ, medicum fugiunt, vix naturam morbi illuminant, pauca que nos de medicatione docent.

Si fugaces sunt, dum modo cessarunt, læsiones organicae solæ debelandæ, sin autem continuæ, si non læsionum therapeiæ inserviunt, necessario tamen indicant, ægrotantem, eorum actioni substrahendum esse.

Sunt ne locales, quâ medicatione uti oporteat, medico designant, eo facilius, quo ea causa, majori cum evidentiâ appareat.

Si ex influentiis generalibus et individualibus ut ex constitutione atmosphericâ, nascentur morbi, maximi sunt momenti causæ; si que ab eis non semper determinatur, in pluris que casibus ex eis lucem recipit medendi modus. Si ex generalibus exterioribus que, morbi oriuntur causis, quarum actio directa, in organibus circumscripta est, tunc quamvis sit certe utilis, non ab ea sed ex læsi organi indicationibus, therapeia potissimum instituenda.

Sed si causæ sint specificæ? Accuratissime ponderari debent, et sœpissime ad medendi methodos ducunt certos, et mere necessarios.

Ne credamus tamen notam specificam naturam, ejusdem in omnibus casibus esse utilitatis, ad therapeiam.

Quid etenim refert exceptâ præservativâ medicatione, rabiei, variolarum, scarlatinæ, etc., causas cognoscere. Quando patescunt istorum morborum symptomata, læsiones organorum solum debellandæ sunt; illorum indicationibus tantum uti tunc necesse est, causaque, quæ affectionis naturam denuntiat, nullius certe ad therapeiam esse potest momenti.

Multis vero in aliis casibus, in causis solum, morbi naturam simul et therapeiam reperimus. Tum, organorum exploratio, illorum symptomata et læsiones, ad curandi modum congruentem, medicum non ducunt.

Quidquid tentabit, inane evanescet donec vel propriâ solertiâ, vel casu quodam, specificam causam suspiciat.

De causis quibusdam non locutus sum, mibi que placuit illas separare quia maxime valent, quæquæ sit hominis natura, quæquæ sint aliæ influentiæ, seu circumscriptæ, seu generales, hæ sunt, et validioris pretii, morales causæ.

De quibus dixi, patet, causas mentem nostram, sæpe præterire, quid que valeant semper non æqualiter in omni casu valere. Nunc quonam modo in singulis morbis therapeia institui possit, quænam sint elementa, quæ ad illius notionemducere possunt, examinandum est.

PARS SECUNDA.

Necesse primum esset in hac parte, de morbis separatim inquirere, illos postea conjungere, ex investigationis methodo ad cujus que naturæ appreciationem necessariâ. Sed si singula hoc modo perseverer, longior certe essem, in hac thesi, quæ brevitate si non aliis ornamentiis valere debet. Extemplo que examinemus, separatos prius morbos, sub aspectu judicij nostri.

1.^o Sunt morbi, in quibus causarum cognitio, non prorsus est necessaria, in quibus que naturam agnoscere, therapeiamque instituere nobis fas est, ex symptomatum circumscriptâ et generali intelligentiâ.

Haud numerosi sunt isti morbi, certe, attamen aliqui sunt, in quibus localium symptomatum, phænomenum que generalium observationum necessaria nobis videtur.

In quibusdam pleuritidis acutæ, aut peritonitidis casibus, in non nullis encephali congestionibus repentinis et violentissimis; quomodo ex causis utilitas excipienda?

Ex illis causis, appareret ne clarius natura morborum, quam ex symptomatum observatione, ex causarum que cognitione modificata ne foret therapeia, cuius utilitatem jam denuntiaverunt symptomata.

Alias; ut exempli causâ, in quibusdam arachnoiditis, ex causis externis ortis, simplicibus et variis; in phlegmonibus superficialibus, ex iisdem causis, sed nullâ comitante in organis complicatione; etc.

An de causa tunc inquirendum erit? Plerūmque symptomata examinanda tantum erunt, ex illis indicari potest natura morbi, ex illis pendet curatio.

Aliquando etiam, in obscurissimis morbis, ad methodum certam medicationis, symptomatibus tantum ducimur; quis enim ex medicis in morbis vel mere inflammatoriis, frigus, horrorem, calorem sudores que certo et regulato modo apparentes, consciens, ex his phænomenis non judicavit, presertim, que quum totius aliis therapeiæ inutilis applicatio, necessario adhibenda esse medicamenta, quibus uti solent, ad depellenda qualescumque sint causæ, intermittentia phænomena.

Ex hoc patet igitur, aliquoties ex symptomatum appreciatione, aut ex quorumdam symptomatum cognitione, aliquando judicari posse, naturam morborum, et illorum therapeiam.

2.º In aliis morbis, symptomatum accurata ponderatio, anatomiarum læsionum una extantium certæ cognitioni junctâ; ex his absque causâ et naturâ morbi, institui potest curationis methodus, si curatio fieri potest.

Hic ordinandæ, omnes liquidorum collectiones, excepto cruore, quæcumque sit illarum natura, in variis corporis cavitatibus, aut in adventitiis cavitatibus.

Quid resert reipsa cause notio, in istis circumstantiis; quantum

autem valet læsionum anatomicarum quibus comitari solent, et symptomatum quibus denonciantur intelligentia!

Ex symptomatibus medico patebit, nunc necessarium esse liquidam collectionem propellere, quomodo que propellatur; ex læsionibus anatomicis appreciatis, huic compertum erit, an eam depellere fas sit, an certe abeat, an ex læsione ipsâ, iterum eam reddituram pro certo sit.

3.º In aliis casibus morbi natura, neque a circumscriptis symptomatibus, neque a læsionibus localibus, ante mortem aut post mortem notis patet; tunc ex quibusdam circumstantiis physicis, omni constitutioni corporis propriis, morbo nascente, hæ accurate perpendendæ sunt, illarum que maxima est utilitas ad indicationem morbi naturæ et therapeiæ.

Huic generi adscribendi sunt omnes locales morbi, ex generali constitutione nati, et ex propriis diathesibus; nobisque clare apparebit, attentam observationem singularum, in uno quoque homine circumstantiarum, omnino necessariam futuram esse in omnibus læsionibus, ex quibusdam dispositionibus seu congenitis, seu per vitam ortis, pendentibus.

Sic in febris biliosis, in anginis biliosis, in pneumoniis biliosis, in morbis criticis, in morbis succedaneis, in leucophlematiis, in asthmatis, in hæmorrhagiis, in nevralgiis, in multis tegumentorum affectionibus, etc.

In omnibus istis casibus, exempli causâ enumeratis; nonne non patet, ex signis dissociatis, non illustrari posse, nisi imperfectâ luce si non in constitutione inquiritur, morbi naturam.

Alii morbi characteribus propriis spectabiles, seu congenitâ, seu acquisitâ dispositione nati, hic etiam examinari queunt, in illis non ex generali constitutione præsertim oritur morbus, sed ex organicâ et speciali quâdam dispositione, in quâ tantum de illius naturâ inquirendum est. Illorum symptomatibus, aut læsionibus, haud clare, neque magis generalis constitutione investigatione, edocemur, ad hoc que tantum ducimur, scilicet ad causam in organo abditam, quæ nos

fugit, ex cuius que cognitione, nobis apparere forsan posset natura morbi et therapeia.

Quid etenim nobis compertum est, certo modo, de naturâ et de therapiâ quarumdarum hæmorrhagiarum, in nonnullis organis in quibus semper observantur, quid de quibusdam organorum mollescentiis, etc., etc.

4.º Plures sunt morbi in quibus, symptomatum et læsionum judicio non sufficiente; in omnibus quibusnam sint physicis et cuique propriis circumstantiis; causæ tantum, illorum naturam indicare valent, tunc que omnino necessariæ sunt haec causæ, ad medicationem seu hygienicam, seu præservatoriam, seu ad therapeiam specialem adhibendam.

Causarum maximi ponderis est cognitio, in epidemias, in febribus intermittentibus ex causis continuo agentibus ortis, in venenis serpentum, in rabiei viro, in variolis, in morbillis, in quibusdam asphyxiis, in quibusdam siderationibus a sclerotio clavo cum tritico mixto, in vertiginibus, ex lolii perennis farinâ, etc. Hic hygienicam atque prophylacticam tantum methodum curandi indicant causæ.

Alias, ex causarum scientiâ ducimur tunc agnita naturâ morborum, ad quasdam curationes therapeuticas quas edocuit experimentum.

Sic ex cognitione causarum, et naturæ specificæ quorumdam morborum, ex metallorum vaporibus, seu æris, seu plumbi, seu mercurii natis, egregiè applicatur therapeia.

Alii sunt casus in quibus cognitio causæ, non præsentis, sed remotissimæ, serius ocius ve, methodum therapeiae specialem determinare potest naturæ que morbi propriam.

In istis quidquid apparet, fallens est, obscurum, nisi causa medico lucem afferat.

Quomodo numerosis et multiplicibus formis, morbi siphilitici, utilis therapeia erit applicanda, ignotâ naturâ morbi, ex quâ tam dissimilia prorsus evadunt. Ex læsionibus, comperta ne erit natura quorumdam ulcérationum, sive internarum, sive externarum, quorumdam anginarum, ophtalmiarum, etc., etc.

Diu dubitabit medicus, et certe dubitare debet, et quidquid agere conabitur, inutiliter actum erit, quoad aut ex fortuito, aut ex investigatione accuratissimâ, clare huic appareat natura.

In hisce omnibus casibus, modo ex naturâ et causis, therapeia, modo morbi diuturnitatis, et salutis aut mortis judicium pendet, sed certum illud judicium est tantum, quum ex comparatis symptomatibus et læsionibus anatomicis defluit.

Nunc ex iis quæ locutus sum in hoc opusculo, generalia hæc corollariorum deducimus.

1.^o Quorundam symptomatum accurata cognitio, morbi naturam detegere potest, et ad therapeiam sufficit.

2.^o Læsionum anatomicarum investigatio prorsus necessaria est, ut egregie applicetur idonea therapeia, quæ aliquando, ex unâ illâ investigatione defluere potest.

3.^o In quibusdam morbis, præsertim que specificis, ex symptomatibus, aut ex læsionibus anatomicis, ante aut post mortem, non medico datur sufficiens lux; tunc causa, illorum naturam semper denuntiat, illâ que, natura determinatur atque therapeia quæcumque sit.

4.^o Non igitur generali modo affirmandum est, in causâ, potius quam in symptomatibus et læsionibus quærendas esse morbi naturam, et therapeiam: si aliquando hoc dici potest, non ideo certissime, in omni casu alicujus ordinis rerum investigatio rejicienda est.